



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

5. Nomenqve Dedit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

supra *Neuhusium Paderam*, *Alisonem* infra alueo accepit, & multa insignia castra, oppida alluit, juxta *Vesaliam* in Rhenum evolvitur. Falluntur ergò, qui in eandem cum *Amisiâ* & *Visurgi* partem ferri, & Oceanum subire existimârunt. Hos sequi videtur *Bartolinus*. l. 4. Austr. ut *Spidelius* notavit.

*Nunc verò Oceani populos, atque extrema mundi
Regna sequar.*

Hic fluit & Lupia turgescens sanguine ripa.

Errori huic immani & manifesto ansam præbuit *Strabo* lib. 7. In eandem cum *Amisiâ* partem feruntur *Visurgis* & *Lupia* amnis, distans à *Rheno* 1000 stadijs, sive millibus passuum LXXXV; fluens per *Bructeros* minores. Melius *Lupia* ostium agnovit *Mela*. lib. 3. c. 3. *Amnium* in alias gentes exeuntium *Danubius* & *Rhodanus*, in *Rhenum* *Mænus* & *Lupia*. Excusat tamen *Strabonem* *Junius*, quasi ἐπι ταῦτα (videlicet ἐθνη quòd præcessit) id est ad has nationes decurrere *Luppiam* tradiderit. *Isac. Pont.* lib. 1. *Orig. Franc.* c. 9.

5. NOMENQVE DEDIT. *Lippsringa* arcis, sub quâ *Luppia* fontes conspiciuntur, oppidòque, diu post conditam arcem, in oppidum evecto: nam sub initium sæculi decimi quinti incolæ libertate primùm donati vel manumissi. sic quoque in eadem hac diœcesi vicus quidam *Vp-sprunck* vocatur.

6. NERONVM QVO SITA MAIORIS.
Horatius lib. 4. od. 14.

*Major Neronum mox grave praelium
Commisit, immanèsque Rhætos
Auspiciis repulit secundis.*

Vterque *Neronum* divisis partibus *Rhætos* *Vindelicos* que vicêre; *Vellejus* lib. 2. c. 5. Cui ergò *Venusina* periphraſis
conve-